



**E**lico in Heluetiorū finibus natus & educatus fuit. Is artifex erat egregius, q̄ sua industria plurimas res cōficere, & ingenij sui acrimoniam ostendere poterat. Cum autem adoleuisset, cupidō eum incesserat uidēdi Romam & ipsam Italiam. Ibi cum aliquandiu stipendio conductus laborasset, in patriam redire statuit. Ut uero commodius eius regio nis fertilitatem & conditionem suis hominibus declararet, aliquot fructus, ut pote ficus, oliuas, poma, & uvas secum detulit, atq; Heluetijs & Gallis adiunctis ostendit. Tum uero Galli eorum fructuum dulcedine pellesti, cogitare primō cœperūt, qua ratione Italiam inuadere, & partem eius regionis armis occupare possent. Accidit itaq; cōmodē ut Aruns quidam Tuscus, in odium Lucumonis, eodem ferē tempore ad Heluetios proficisceretur, atq; eos contra suos emulos in Italiam pelliceret. Is, ut id cōmodius efficeret, dulcia eius regionis uina secum detulerat. Itaq; Heluetiū cum Gallis & Germanis coniuncti, primam expeditionem in Italiam fecerunt, atque eius terræ incolas plurimi incōmodis affecerunt, ita ut Lucumo cum uxore sua Tanaquil Romam cōfugere coactifuerint. Contigit id anno mundi termillesimo, trecentesimo quadragesimo, cum Ancus Martius Romæ regem ageret. Plin.lib.12,capite 1, Stumpff lib.3. Galliæ.